HUGO DE SANCTO VICTORE. GUILELMUS DE SANCTO THEODORICO. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Göttweig (?), 4. Viertel 12. Jh. Seite 5v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



quia ipsa lucutionis superfices magna uerborum profunditate tecta est.
et quodam alto sermonis superferentis se et extollentis. et inuoluti secundum
magnitudinem et excellentiam rerum secretissimarum ambiguo celata. ne
cesse est ut primum moderata et communi faciliq; ad intelligentiam explanati
one reseretur. Et hec erit fortassis commodior explanatio introducendis
ad magnum principium. quam non oportet in tantam tamq; sublimium rerum medi
tatione exercendos animos uerborum inuolucris occupari. qui licet appositi
sint secretis uenerandis digna uelamina. ingredientibus tamen reuelata facie
ad contemplationem eorum que intrinsecus sunt in libertate spiritus e medio sunt tollenda
ad pandenda misteria. Hoc ergo nunc suscipimus et hoc satis nobis est in his
que dicemus. nam ex reliquo si quid adiectum fuerit. ex super habundanti
sit in dono. Quid sit ierarchia et dispositionis illius ratio et exordium.

Ierarchia ex greco interpretatum. sacer sonat principatus. Et sunt
ierarchie. i. principatus sacri tres. quas dicemus ut supra commemo
rauimus. Prima et summa ierarchia est potestas diuinitatis. Secunda
et media ierarchia est potestas angelica. ad similitudinem prime potestatis
facta. et sub prima potestate constituta. Tercia et ultima ierarchia est po
testas humana ad similitudinem angelice facta. et sub ea constituta. et per
mediam eam sub prima et summa. His ierarchiis. i. principatibus sacris. to
tus regitur mundus. in quibus est summa potestas que imperat tamen. et infima cui
tantum imperatur. et media que imperat inferiori. cui imperatur a superiori. Summa
ergo potestas et prima. secundam et terciam potestatem per se constituit in angelis
et hominibus. ut ei et conformes essent. participatione uirtutis et coopera
tices consorcio potestatis. Et diuisit dona uirtutum. et secundum diuisi
ones donorum. distribuit officia potestatum. et dedit dona plurima
et multas potestates constituit. et omnia dona de uno. et omnis potestas
sub una. et in omnibus et omnia ad unum in uno. Angelicam uero ierarchiam primo de
monstrat theologus. secundo tractat de humana. tercio quasi in fine et consum
matione de diuino et summa. Ipsam autem angelicam in tres subdiuidit
ierarchias. et unam quamq; trium per tres ordines distinguit. ut no
uem angelorum ordinum numerus compleatur. et omnem ierarchiam unius po
testatis et unius officii et unius dignitatis. et in una quaq; ierarchia